



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

(Arch.)

70

4° Arch. 70.



Christian. Wink. del.

J. Mich. Söckler. sc. 1779.

0  
5312

4° arch  
70°.

R

DOMINICI GEORGII  
INTERPRETATIO  
VETERIS MONUMENTI

In agro Lanuvino detecti

E T

IN ÆDES CAPITOLINAS NUPER INLATI

In quo effigies ARCHIGALLI Antistitis  
MAGNÆ DEUM MATRIS  
exprimitur.

AD MARCHIONEM

ALEXANDRUM GREGORIUM CAPPONIUM

Sacri Palatii Apostolici Forerium majorem



R O M Æ

Ex Typographia Rochi Bernabò prope Fontem Trivii.

M D C C X X X V I I .

---

P R A E S I D U M F A C U L T A T E .





Long. P. 5 Unc. 4, Lat. P. 5. U. 4.

ARCHIGALLI EFFIGIES  
IN TABVLA MARMOREA  
ROMAE  
IN AEDIBVS CAPITOLINIS  
CVRANTE ALEX. GREG. MARCHIO.  
CAPPONIO S. P. A. FORERIO MAIORE

I. D. Campiglia delin.

H. Frezza sculp. 1737.

Bayerische  
Staatsbibliothek  
Munichen

Digitized by Google





# INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI FIGURAM ARCHIGALLI REFERENTIS



N tibi, ALEXANDER GREGORI, Occasio & seri-  
bend ratio.  
vir præstantissime, & eximie an-  
tiquitatis cultor, singulare vetu-  
statis monumentum, haud indi-  
gnum certe Capitolinis ædibus,  
nuper Sanctissimi Domini no-  
stri CLEMENTIS XII. PONT. MAX.  
munificentia, tuaque summa cu-  
ra ac studio exornatis, statuis inibi, inscriptionibus,  
anaglyphis, & priscis virorum illustrium imaginibus  
dispositis & affabre collocatis; quo magis deinceps  
æternæ urbis majestas non modo eruditos homines,  
sed convenas etiam exterisque gentes allicere, & in  
sui admirationem pertrahere possit. Accipe igitur  
ex me, quando marmorea tabula, de qua sum disce-  
ptaturus, eruta fuerit, & quid item præseferat.

De-

## 6 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

I.

Marmorea tabula,  
Archigalli effigie,  
rerumque figuris  
insculpta, ubi eruta;  
& quando in  
Captiolinas ades  
translata.

D Etecta est in agro Lanuvino A. D. MDCCXXXVI. quingentos ferme passus a Cynthiano oppido ad Appiam viam, dextrorsum Velitras potentibus, in ipsis agri Lanuvini finibus, vineaque Canonorum Lanuvinorum, dum fundi cultor altius terram moliretur. Vidimus nos tabulam illam eodem illo anno sub finem Aprilis mensis, simul ac illius fama pervulgari coepit, & paulo post quam in villam Lanuvinam, olim Antonini Augusti, nunc Sfortiae Ducis Sfortiae, viri nobilissimi, in cuius ditione Lanuvii, & Cynthiani oppida sunt, delecta fuisset, dum una cum Josepho Renato Imperiali S.R.E. Cardinale amplissimo, Patronoque meo, Cynthiani tunc versarer, quo per dies aliquot idem Cardinalis secesserat, ut a curis, quibus in summa licet senectute, integris, ope divina, corporis animique viribus, pro Apostolica Sede vacare solebat, paulisper conquesceret. Vera id quidem tum de illius firma prospere valetudine; at hujus anni initia, heu quam mihi infesta & luctuosa! nam clarissimus Cardinals morbo corruptus, brevi dierum intervallo erexit nobis est, & die xv. Januarii pie obiit. Sed quoniam perpetua quadam vitae felicitate, & admirabili virtutum fama usus, dum annos octoginta quinque, menses octo, & dies septemdecim explevisset, naturae satisfecit, meo potissimum incommodo detimentoque dolendum est. Hanc veniam, ut spero, justo dolori meo dabitis, lectores humanissimi, hanc a vobis peto, ac interim in lineam redeo. Postquam igitur tam præclarum monumentum conspeximus, statim in mentem venit ipsi Cardinali, e re penitioris an-

antiquitatis fore, si illud delinearetur, ærique incisum, eruditorum orbi communicaretur; archetypam vero tabulam in museum Capitolinum, posteritatis ornamento futuram, inferretur. Ac Romam quidem reversus Cardinalis, Sanctissimo Domino nostro Clementi XII. id in primis significavit, tecumque egit, ut hæc nova cimeliis Capitolinis accessio fieret. Tua igitur opera, tuoque demum hortatu factum est, ut eruditorum votis Dux Sfortia, in cuius manus devenerat tam insigne monumentum, humaniter obsecundaret, & ad posteritatis memoriam, in Capitolinis ædibus asservandum hisce ferme diebus, nempe mense Februario hujus anni tradiderit. Tu vero memoratum monumentum in atrio superiori earundem ædium collocari fecisti, ac typum, qui initio hujus mæ disceptationis visitur, rem gratam antiquitatis amatoribus facturus, æri incidendum curasti. Hæc præmittenda duximus, antequam monumenti hujus interpretationem agrederemur; nunc ei manum admoveo,

## II.

Galli & Archigalli, sacerdotes Deæ Cybeles; cur ita vocati. Eorum facies partim viriles, partim feminea.

**E**xhibet autem præ ceteris hæc marmorea tabula (quam hieroglyphicam ex insculptis signis appellare mallem) imaginem exstantem quidem, sed loculamento receptam, quæ, ut reor, effigies est Antistitis cujusdam Magnæ Matris Deum Cybeles, seu Idææ, cujus sane Deæ summos sacerdotes, *Archigallos*, minores vero, *Gallos* a veteribus appellatos, nemo nescit. Origo nominis dicitur a Gallo fluvio Phrygiæ, si Ovidium, Plinium, Festum, Herodianum, Dionem Chrysostomum, & Stephanum Byzantium audimus: quod quidem Jo: Gerardo Vossio

*De Idololatria. Genitil. lib. 1. cap. xx.  
Et in Etymologic. verb. Gallus.*

ve-

## 8 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

verosimilius videtur, licet repugnantem Isaacum filium in notis ad Catullum immerito habeat. Si vero inquiras, unde conjiciam, hunc Archigallum esse: ex habitu oris, ceterisque in marmore insculptis symbolis, rem patere, ajo. Videsne faciem prope femineam, simulque virilem, ut haeres mas ne sit, an femina (ita facies utrumque sexum indicat) commixtumque aliquid ex mare & femina, intuentes judicare videantur, feminam tamen esse potius credant? Adeo verum est, quod de his sacerdotibus Prudentius Christianus poeta veterissimus cecinit:

*Hymn. de S. Roma.  
no vers. 1073.*

*Medium retentat inter alternum genus;*

*MAS esse CESSAT ille, NEC FIT femina.*

Multo vero ante eadem de Atty ex poetis ethnicis Ovidius, dira in Ibin imprecatus:

*Attonusque feces, ut queis Cybeleja mater  
Incitat ad Phrygios vilia membra modos.*

*Deque viro FIAS NEC FEMINA, NEC VIR, ut Attys:  
Et quatias molli tympana rauca manu.*

Et de Gallis sacerdotibus, ex christianis scriptoribus Lactantius: *Ab isto genere sacrorum non minoris infaniae judicanda sunt publica illa sacra, quorum alia sunt MATRIS DEUM, in quibus homines suis ipsi virilibus litant; amputato enim sexu, NEC VIROS SE, NEC FEMINAS FACIUNT.*

### III.

Galli, & Archigalli, *Galla, Semiviri, Semimares, & Spadones, ex excepta virilia, dicti. Delectus dies, quo sacerdotio initabantur, & exsecabantur,*

**P**robe nosti præterea, *Gallos, & Archigallos* in honorem abscissi *Attinis* fuisse eviratos, semineumque cultum & incessum, ornatumque simulasse: eapropter a veteribus passim *semiviros*, & interdum *semimares*, ac *spadones* appellari. Congeram ea de re eorundem testimonia, quorum aliqua profaram,

ram, alia indigitabo. Varroni primus locus detur, Fragmenta Varro-  
nis pag. 150.  
e quo Nonnus hæc sumpsit :

*Tibi tympana non inani sonitu Matri Deum  
Tonimus : tibinos modos, tibi nunc SEMIVIRI  
Tereorem comam volantem jactamus tibi GALLI.*

Varroni Catullum subnecto, qui hujusmodi sacerdotes per contemptum, ob exsecta virilia, *Gallas* vocat non semel in Galliambo ; ac ita canit :

*Agite ita ad alia GALLÆ, Cybeles nemora simul.*

Mox :

*Rapida ducem sequuntur GALLÆ pede propero.*

*Itaque ut domum Cybellæ tetigere lassulæ,*

*Nimio e labore somnum capiunt fine Cerere.*

Ita etiam Hephæstio Alexandrinus, L. Veri Augusti præceptor lusit in Græcis versibus, qui Latine hoc modo redditи sunt :

*GALLÆ matris montanæ, thyrsos amantes sequaces;*

*A quibus arma quatuntur, & ærea crotala.*

Nec prætermittendus, ad semiviri vocem quod attinget, maximus poetarum Virgilius, apud quem legas :

*Et nunc ille Paris cum SEMIVIRO comitatu*

*Mœonia mentum mitra, crinemque madentem*

*Subnixus, rapto potitur.*

Quin Turnus Æneam, cum quo pugnam erat initius, *Semivirum Phrygem* appellat; ita enim ad hastam, quam manu tenebat, Turnus loquitur :

*..... da sternere corpus,*

*Loricamque manu valida lacerare revulsam*

*SEMIVIRI PHRYGIS.*

*Eneid. 1 v.  
vers. 215.*

*Eneid. xii.  
vers. 97.*

Id autem nominis Phrygibus inditum, ex cultu Deæ Cybeles apud eos, & ex effeminatis Gallis.

B

Ovi-

## IO INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

*Lib. IV. vers. 180.*

Ovidius vero in Fastorum libris Gallos , semi-mares appellat :

*Ibunt SEMIMARES , & inania tympana tundent ,*

*&eraque tinnitus ære repulsa dabunt .*

*Epi. c viii.*

Addo his Senecam , cujus hæc sunt verba : *Quidam ad magnificas voces excitantur , & transiunt in affectum dicentium , alacres vultu & animo , nec aliter concitantur , quam Pbyrgii solent tibicinis sono SEMIVIRI , ex imperio ( Archigalli ) furentes . Audi & Juvenalem :*

*..... Ecce furentis*

*Bellone , Matrisque Deum chorus intrat , & ingens SEMIVIR obseceno facies reverenda minori ;*

*Mollia qui rupta secuit genitalia testa .*

*Jam pridem , cui rauca cobors , cui tympana cedunt*

*Plebeja , & Pbyrgia vestitur bucca tiara ,*

*Grande sonans .*

Martialis item de Gallis , eisque eviratis sæpiissime .

Unum ejus locum pono , cetera indigitabo , quoniam fastidio essem , si ea singillatim in medium afferrem . En porro versus , quibus illos , semiviros appellat :

*Curetes texere Jovem crepitantibus armis ,*

*SEMIVIRI poterant qualia ferre PHRYGBS .*

Mitto nunc Apulejum , cujus verba alio loco apponam . His accedit Lampridius , qui narrat , Imperatorem Elagabalu , ut Matris Deum sacris initiaretur , virilia sibi devinxisse : *Factavit autem , inquit , caput inter PRÆCISOS FANATICOS , & GENITALIA sibi devinxit , & omnia fecit , quæ GALLI facere solent : ablaturque sanctum numen ( nempe simulacrum Cybeles ) in penetrale Dei sui translatus .* Eviratio siebat Samia testa , ut paullo ante ex Juvenale didicimus . Cur id ? Causam affert Plinius his verbis : *Samia testa , Matris*

*Lib. IX. epigram.*

*IX.*

*Vid. lib. II. epigram.*

*XLV. lib.*

*III. epigram. XXIV.*

*& LXXXI. lib.*

*VIII. epigr. LXXV.*

*lib. XI. epigram.*

*LXXII. LXXV.*

*lib. XII. epigram.*

*XLVI. lib. XIII.*

*epigram. LXIII.*

*lib. XIV. epigram.*

*CCVIII.*

*Cap. VI.*

*Lib. XXXV.*

*cap. III.*

## FIGURAM ARCHIGALLI REFERENTIS    II

*tris Deum sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant: nec aliter citra perniciem, si M. Cælio credimus, qui linguam sic amputandam objecit gravi probro.* Fiebat ad tibiæ cantum, ut ex Lucretio<sup>a</sup>, Ovidio<sup>b</sup>, ac Tibullo<sup>c</sup> colligitur.

<sup>a</sup> Lib. II. vers. 620.

<sup>b</sup> In Ibis, vers.

453.

<sup>c</sup> Lib. I. eleg. 1v.

Dies quoque exsectioni virilium statuta erat. Julianus Imperator Oratione v. quam habuit, eo tempore, quo contra Persas profectus, per Phrygiam iter fecit, ac Pessinuntem deflectens, Matris Deum delubra veneratus est, ut ex Ammiano, restitutisque tum illius sacris, *Callixenem* Antistitem præfecit, quod ipsemet Julianus testatur, Julianus, inquam, in ea oratione multa habet de mysteriis Matris Deum, deque *Semideo Atti*. Mox: *Hæc sunt, inquit, regis Attidis comploratu ac lamentis interim celebratæ fugæ, secessiones, subractiones e medio, & in spelunca latebre.* Quod vel tempus ipsum satis indicat, quo illa omnia geruntur. Etenim sacram arborem succidi illo ipso die ferunt, quo Sol SUPREMAM AQUINOCTIORUM APSIDEM attigit: altero die tubarum clangore perstrepunt: tertio sacra & arcana Galli messis puratur. Ad quem locum Dionysius Petavius scribit, nil aliud se putare, quam illo die exsecari quempiam solitum, qui inter Gallos adscriberetur. Indicat Augustinus: *Huic monstro nec Jani monstruositas comparatur. Ille in simulacris babebat solam deformitatem: ista in sacris deformem crudelitatem. Ille membra in lapidibus addita; haec in hominibus perdita.* Ad hanc exsectionis diem alludit Juvenalis, dum ait:

*Lib. VII. de Civit.  
Dei cap. xcvi.*

*Hic turpis Cybeles, & fracta voce loquendi  
Libertas, & crine senex fanaticus albo  
Sacrorum Antistes, rarum ac memorabile magni*

*Sayr. II. vers. 110.*

## 12 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

*Gutturis exemplum, conducendusque magister.*

*Quid tamen expectant: Pbrygio QUOS TEMPUS ERAT JAM  
More SUPERVACUAM CULTRIS ABSCINDERE CARNEM?*

Apud Romanos viii. Kal. Aprilis festum in honorem Matris Deum celebrari solebat, quod **HILARIA** vocabatur; de quo vetera Kalendaria, Macrobius<sup>a</sup>, Herodianus<sup>b</sup>, Lampridius in Alexandro<sup>c</sup>, Vopiscus in Aureliano<sup>d</sup>, & Damascius apud Photium<sup>e</sup>. Celebrabantur autem *Hilaria* postridie ejus diei, quo sanguis mittebatur, qui erat ix. Kal. April. Hinc ad eum diem in Kalendariis vetustis adnotatur: *Sanguen.*  
*Dies Ægyptiacus.*

### IV.

*Semivirorum, &  
his similibus no-  
minibus Galli a  
rerum sacrarum  
scriptoribus ap-  
pellati.*

*Ruinart. Ad. Mar-  
tyr. pag. 71. edit.  
Paris.*

**A**T poetis, profanisque auctoribus præsertim dimissis, ne fabulas nobis vendidisse videantur, ad rerum sacrarum scriptores, sanctosque Ecclesiæ patres, nos convertamus, e quibus eadem de *eviratis Gallis* audiemus. Principem concedo locum Actis genuinis S. Symphoriani martyris Æduensis, martyrio affecti c. A.D. 180. ubi hæc decerpsti. Symphorianus, quod *Berecyntia* (quæ eadem est ac Cybele Deum mater) simulacrum in Æduis adorare noluisse, detinetur, ac judici dicenti: *Nisi MATRI DEÆ sacrificaveris, bodie te dilaniatum omnibus pœnis, capitis sententia damnatione prosternam*, respondit: *At nunc non in idoli bujus cultu portentosam attende superstitionem vestram, quod tu ad opprobrium & exitium eum veneraris: in cujus sacris EXCISAS CORPORUM VIRES CASTRATI ADOLESCENTES, infastæ imagini exultantes, illidunt, & exsecrandum facinus pro grandi sacrificio ducitis, sacrilegi sacerdotes, ut quod immane scelus est, religionis prætextu veletur. Ubi perstrepentes buxos,*  
*Oti-*

*& tibias, fanatici furoris inflati insania, ubi cymbala pulsat Corybantes.* Hæc de Gallis, ac sacris Cybeles Acta habent, quorum verba fusius protuli, ut facilius res omnis perciperetur. Prodeat nunc S. Cyprianus, qui in epistola ad Donatum hæc scripsit: *Epiſt. II.*

*Evirantur mares, honor omnis & vigor sexus, enervati corporis dedecore mollitur, plusque illic placet quisquis virum in feminam fregerit.* Lactantius disputans, *Lib. I. cap. xvii.* quibus de causis hæc eviratio fieret, hanc subjicit rationem: *Deum Mater, inquit, & amavit formosum adolescentem, & eundem cum pellice deprehensum, exfectis virilibus, SEMIVIRUM reddidit: & ideo nunc sacra ejus a GALLIS celebrantur.* Julius item Firmicus de errore profanarum religionum Gallos his nobis verbis adpingit: *Deinde, ait, cum sic se alienos a viris fecerint, adimpti tibiarum cantū, vocant Deam suam, ut nefario repleti spiritu, vanis hominibus, quasi futura prædicant. Quod hoc monstrum est, quod' ve prodigium?* NEGANT SE VIROS ESSE, ET SUNT; MULIERES SE VOLUNT CREDI, sed aliud qualiscumque qualitas corporis confitetur. Apposite autem de his semi-viris & spadonibus non uno in loco Prudentius poeta christianus. Is enim turpem Gallorum exfectionem deridet in hymno de S. Romano, his versibus:

*Pag. 9. 10.**Hymn. de S. Romano, vers. 1066.*

*Ast hic metenda dedicat genitalia,  
Numen reciso mitigans ab inguine:  
Offert pudendum SEMIVIR donum Deæ:  
Illam revulsa masculini \* seminis  
Vena, effluenti pascit auctam sanguine.*

*\* al. germinis.*

Idem de his abscissis in libris contra Symmachum: *Lib. II. vers. 49.*

*Hæc si non ita sunt, edatur, cur sacra vobis  
Ex tabulis cerisque Poetica fabula præster?*

*Cur*

## 14 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

**Cur BERECYNTHIACUS PERDIT TRUNCATA SACERDES  
INGUINA.**

*Lib. II. contra  
Symmachum,  
vers. 862.*

*Hymn. de S. Ro-  
mano, vers. 200.*

*Lib. II. cap. VII.*

*Lib. VI. cap. VII.  
num. 3.*

*Lib. VII. cap. XXIV.  
num. 2.*

*Ibid. cap. XXVI.*

Audi eundem, *Gallos*, spadones appellantem:  
..... *Megalesius hinc SPADO diris*  
*Incensus fariis cæca ad responsa vocatur.*

Item alio loco:

*Per multa Matris sacra plorandus SPADO.*

Adde nunc de hujusmodi eviratis, eorumque impudicis moribus differentem S. Augustinum in libris de civitate Dei: *Quanto melius, inquit, & honestius in Platonis templo libri ejus legereatur, quam in templis dæmonum GALLI ABSCIDERENTUR, molles consecrarentur, insani searentur, & quidquid aliud vel crudele, vel turpe, vel turpiter crudele, vel crudeliter turpe in sacris talium Deorum celebrari solet?* Idem præterea in iisdem libris: *Sacra sunt Matris Deum, ubi Attys pulcher adolescens ab ea dilectus, & muliebri zelo absitus, etiam HOMINUM ABSCISORUM, QUOS GALLOS VOCANT, infelicitate deploratur.* Denique in iisdem libris iterum Augustinus: *Itane ad hæc relata, & bunc finem habentia, tympanum, turres, GALLI, jactatio insana membrorum, crepitus cymbalorum, confitio leonum, vitam cuique pollicentur æternam?* Itane propriae GALLI ABSCISSI buic Magnæ Deæ serviunt &c. Mox vero: *Et Attys ille non est commemoratus, nec ejus ab isto interpretatio requisita est, in cuius dilectionis memoriam GALLUS ABSCIDITUR.* Ibidem paullo post, turpitudinem sacrorum Magnæ Matris his verbis infectatur: Itemque de MOLLIBUS eidem Matri Magnæ contra omnem virorum mulierumque verecundiam consecratis, qui usque in hesternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, incessu feminæ per plateas vicosque Car-

*Carthaginis, etiam a populis unde turpiter viverent, exigebant, nihil Varro dicere voluit, nec uspiam me legisse commemini.* Et paucis interjectis, habet: *At vero ista Magna Deorum Mater etiam Romanis templis CASTRATOS inculit, atque istam servitiam moremque servavit; credita vires adjurare Romanorum, EXSECANDO VIRILIA VIRORUM.* Deinde subjicit: *Verum illud quod de ABSCISORUM consecratione Mater Deorum coli meruit, non poetæ confinxerunt, sed borrere magis, quam canere maluerunt.* Hactenus Augustinus. Obiter quoque S. Ambrosius Gallorum improbitatem his verbis perstringit in libris de Virginibus: *Quid de sacris Lib. I. cap. IV.*

*Pbrygiis loquar? in quibus impudicitia disciplina est, atque utinam sexus fragilioris?* Hæc, inquier, tam celebrata Gallorum eviratio, & ab antiquissimis usque temporibus a poetis, historicisque repetita, fabulis ne potius, quam fidei aptior est? De hujusmodi apud Orientem amputatione in viris, ex sacris litteris docemur; quapropter, sine piaculo de ea re dubitare non licet. In libro Deuteronomii hæc leguntur: *Non intrabit eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, & abscisso retro ecclesiam Domini.* Josephus hoc Deuteronomii interdictum referens, his verbis explicat: *Spadones, in Græco vero Josephi textu γάλλες, abhorreantur, & eorum fugiatur congresio, quibus erepta sit virilitas, & generationis fructus, quem Deus hominibus ad generis nostri incrementum tribuit.* Abigantur autem tanquam qui liberos pereminent, & antequam sint, id sustulerint, quod causa eorum fuisset: *perspicuum enim est, eos, cum effeminata sit ipsorum anima, in idem etiam corpore mutatos esse.* An vero hujusmodi spadonibus interdictum esset,

ne

*cap. xxiii. 1.**Antiquit. lib. iv.  
cap. VIII. num. 40.*

## 16 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

ne in templum Domini ingrederentur , an in atrium templi , an connubia cum mulieribus Ismaelitis ne celebrarent , an demum a regimine & magistratibus Israelitarum hac lege arcerentur , adeundi ea de re Interpretes . Nobis satis est , abscissorum *Gallorum* antiquitatem ex sacris quoque litteris indicasse .

### V.

*Galli* , mores , in-  
cessum , & ornatum  
feminarum simu-  
labant .

*Lib. XI. pag. 244.  
edit. Jo. Pricai.*

**H**i spadones non modo mores turpium feminarum , sed ut mortalibus illudenter , gratique Magnæ Deæ essent , earum gestum incessumque , & ornatum simulabant , ut ex adducto paullo ante S. Augustini loco liquet . Hinc factum , ut molles , & effeminati *Galli* non raro appellantur ; & qui ita feminas imitarentur , incessu perfluo feminam mentiri ab Apulejo dicuntur . Lubet nunc persequi reliqua capit is , & corporis ornamenta , quæ in nostro ARCHIGALLO visuntur .

### VI.

Mitra Archigalli .  
*Ad Eneid. IV.  
vers. 616.*

*Lib. XIIII. pag. 172.*

*Eneid. IV. vers.  
616.  
De pugna animi  
vers. 358.*

**C**apillos mitra pressos tenet . Apposite in rem hanc Servius Grammaticus : *Quibus* , inquit , *effeminatio crimi ni dabatur* , etiam **MITRA** iis adscribatur . Apulejus de Gallis sacrigerulis Deæ Syriæ , seu Cybeles : *Die sequenti variis coloribus indufiati* , & deformiter quisque formati , facie cœnosō pigmento delita , & oculis obunctis graphice , procedunt : **MITELLIS** , & crocotis , & carbasinis , & bombycinis injecti . Mitra , ut cuivis notum , fuit ornamentum capit is feminarum ; Italis *cuffia* dicitur . Ea usi viri effeminati , & Phryges , quos notare ajunt Virgilium : & mitram mollitiei signum esse , diserte monet Prudentius , his versibus :

*Ut MITRA cœsariem cobibets aurata virilem ,  
Combibat infusum croceo religamine nardum .*

Sub-

## FIGURAM ARCHIGALLI REFERENTIS 17

**Subtilis erat mitra , ideo Catullus de Ariadna :**

*Non flavo retinens SUBTILEM vertice MITRAM*

*Carm. LXIV. vers.*  
*63. 68.*

**Et mox :**

*Sed neque tum MITRAE , neque tum fluitantis amictus  
Illa vicem curans .*

**Propertius apte ad rem nostram :**

*Qua numerosa fides ; quaque æra rotunda Cybeles ,  
MITRATISQUE sonant Lydia plectra CHORIS .*

*Lib. IV. eleg. VIII.  
vers. 62.*

**V**elum supra mitram quadratum , tenuie ac textile , post humeros , pone terga descendens , sacerdotum velamen est , seu integumentum , quod ii sacra facturi , in capite gestare solebant . Hoc autem , *flammeum* , seu *flameum* , *rīca* , *suffibulum* appellabatur . *Ricam* , & *suffibulum* , velamen capitis feminarum esse ferunt . Varronis locus tritissimus est : *Rica* , a *ritu* , quod Romano ritu sacrificium feminæ cum faciunt , *capita velant* . Vide de voce *Rica* , aliisque synonymis Vossii Etymologicon , & Andream Dacerium ad Festum , ut alios præteream . Ideo , mea opinione , velum in hac tabula post humeros rejectum est , ut *Archigalli* facies , ac ornamentum capitis spectari possint . Si enim scalptor velum supra caput revolvisset , ut mos erat sacrificantium , omnia ferme ornamenta capitis contexisset .

**VII.**  
*Velum supra mitram Archigalli.*

*Lib. IV. de ling.  
Lat.*

**A**rchigallus corona , tribus orbiculis interdistincta , imaginibus , seu thoracibus , ut puto , Deorum cœlatis , redimitus est . Sacerdotes omnes , quin & singuli sacrificantes , coronati , & vittati , & insulati erant , quod cuivis vel leviter erudito , patet . Vide ea de re docte differentem Carolum Pa-

**VIII.**  
*Archigalli corona describitur .*

C fcha-

## 18 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

Lib. IV. cap. XIII. pag. 244. schalium in libris de Coronis. Terni coronæ insunt orbiculi, alter in media fronte, duo reliqui circa tempora, dextera, laevaque. Quæ media fronte protome visitur, nullum supra caput integumentum habet, duæ aliæ, Phrygia tiara, ni fallor, ornatæ sunt. Ex qua vero materia corona constet, marmor indicare non potest, an scilicet *laurea*, *myrtea*, *argentea*, aut *aurea* fuerit. Lucem tamen maximam hæc accipit ex simillima corona, quam in capite gestat simulacrum Cistophori ædis Bellonæ Pulvinensis, Romæ anno Domini MDCCXXIX erutum, quod erudite nuper illustravit Antonius Franciscus Gorius in Observationibus ad antiqua monumenta præmissa Donianis Inscriptionibus, ab eo vulgatis. Coronam porro hujus Cistophori *auream* fuisse, ex auro *fahrefacto*, & in folia attenuato, ita ut lauream coronam exhiberet, censet ibidem vir eruditus; a quo insuper docemur, coronam illam gemmis tribus, seu orbiculis intextam, tria Deorum capita insculpta referre: in quam rem perspicuum Suetonii locum in Domitiano profert, qui ita habet: *Ceramini (quinquennali) præfedis (Domitianus) crepidatus, purpureaque amictus toga Germanica, capite gestans CORONAM AURBAM cum EFFIGIE Jovis, ac JUNONIS, MINERVÆQUE, assidentibus Diali sacerdote, & collegio Flavialium pari habitu, nisi quod illorum coronis inerat & ipsius imago.* Hæc ubertim satis sunt ad morem intexendi coronis sacerdotum thoracidas, seu orbiculos, in quibus Deorum vultus cælati essent, demonstrandum. Dii a Phrygibus culti, aut saltem qui aliquid cum Matre Idæa commune habent, mihi videntur, qui in corona Archigalli incisi sunt; ex Phrygio ca-

Tab. VII. pag. LX.  
 &c seqq.

Cap. IV.

capitis ornatū, & ex symbolis Matris Deum, quæ in hac tabula designantur. In ara votiva reperta prope Lugdunum, celebrem Galliarum civitatem, sub annum Domini MDCCIV. quæ a viris eruditis tum illustrata fuit, memoratur *Taurobolium Matris Deum Magnæ Idæ*, quod factum fuit ex imperio ejusdem Matris Deum pro salute Imperatoris Antonini Pii, Sacerdote *Q. Sammio Secundo ab xv. viris occabo, & corona exornato*. Viri eruditi, qui eam inscriptionem, A. D. 160. dedicatam, disceptationibus exornarunt, censem *occabi* nomine, a Græcis orto, *armillas* circa brachium *aureas & pretiosas* venire. Ita enim inter ceteros vir dignitate & doctrina eminens Philippus a Turre Antistes Adriensis, cuius memoria in benedictione sit. His, & *corona Q. Sammum* (licet sacerdotes omnes coronati, sacris operarentur) donatum fuisse putat, honoris ergo, quod tum primum Lugdunum mysteria Taurobolica inlata essent.

**E** Summo capitī ornamento ad aures oculos con-  
vertamus. Inaures, baccæ similes, quæ lobo  
aurium infixæ sunt, duæ margaritæ esse possunt, quia  
baccis lauri ob globosam figuram similes erant. De  
his locutum volunt Prudentium poetam, dum  
ait:

. . . . . *Nec enim contenta decore*  
*Ingenito, externam mentitur femina formam:*  
*Ac veluti artificis Domini manus imperfectum*  
*Os dederit, quod adbuc res exigat, aut hiacynthis*  
*Pingere sculptilibus redimitæ frontis in arce,*  
*Colla vel ignitis sincera incingere fertis,*  
*AURIBUS aut gravidis VIRIDES SUSPENDERE BACCAS.*

C 2

Vide,

IX.  
Inaures Archigal.  
li.

Hæmatigen.  
vers. 264.

## 20 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

Pag. 56.

Vide, si lubet, ea de re Thomæ Bartholini opusculum de Inauribus veterum.

X.

*Archigalli monile.*

*Origin. lib. xix.  
cap. xxxi.*

**Q**ui circa collum *Archigalli* ornatus est, duorum anguum orbe, gemmam summo ore tenentium efformatus, haud absimilis ab eo est, qui e collo *Cistophori Bellonæ* apud *Gorium* pendet, nisi quod torques *Cistophori* laxior, ab extremo collo ad pectus prope papillas devenit: neque serpentum, sed duo catellorum capita ore gemmam mordent. In nostro vero marmore collum tantummodo complectitur, nec longe ab ea monilis specie, de qua *Isidorus*: *Hoc etiam (monile) & SERPENTUM dicitur, quia constat ex amphorolis quibusdam AUREIS, gemmisque variis in modum facturæ serpentis.* *Cistophori* torquem, aureum fuisse contendit *Gorius*, quod nos de nostro quoque monumento haud abnunimus, quum proprie sit monile serpentinum, quod aureum fuisse tradit *Isidorus*.

XI.

*Ejusdem Archigalli monile bacatum.*

*Eneid. lib. 1.  
vers. 654.*

*lib. viii. vers.  
134.*

*cap. xlii.*

**P**ost lobum utrarumque aurum globuli quida m duplice ordine connexi in *Archigallo* conspi ciuntur, qui ad ima latera perveniant. *Monilis & hæc species est.* De hujusmodi monili locutum ferunt *Virgilium*, dum canit:

• • • • • *colloque MONILE  
BACCATUM, & duplice gemmis auroque coronam.*

*Silius Italicus de ejusmodi monili:*

*Hic Phrygiam veflem, & BACCATUM induita MONILE.  
Quidam scribi volunt bacatum; quod nos non mora ramur. Lampridius in Alexandro Severo, statuisse hunc imperatorem tradit: matronas regias contentas esse*

*esse debere uno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona cum qua sacrificium facerent. Monile baccatum etiam in Cistophoro Bellonæ apud Gorium visitur, sed ab ipsa corona, non post aures dependet. De femineo gemmarum ornatu in Archigallo jam satis.*

**A**D illius vestes nunc convertatur oratio. Extrema vestis, qua indutus est *Archigallus*, nullo subligaculo circa lumbos constricta est, sed paullo laxior, & brachia contegit. Quæ fuerint *Gallorum*, & *Archigallorum* vestes peculiares, non ita obvium, ac apertum esse mihi videtur. Muliebres fuisse contentiunt omnes; at uniusne coloris, an versicolores, sericæ, laneæ, aut ex lino, non est omnino certum. Si Luciano credimus, *Galli* non solum muliebri veste utebantur, sed ea erat *tota candida*: summus autem sacerdos, nempe *Archigallus*, *purpuream vestem* gerebat, & aurea tiara redimitus erat. *Archigallus* Phryx Matris Deum Romæ, de quo Dionysius Halicarnassæus, & ex eo Eusebius in libris Præparationis Evangelicæ, *stola versicolori* indutus, circumcurfabat Urbem. Ex his collegere nonnulli, *Archigallos*, muliebri indumento, eoque purpureo usos esse. Apulejus *Gallis*, at non æque singulis, tunicas albas tribuit: *Quidam, inquit, TUNICAS ALBAS, in modum lanciolarum quoquo versum fluente purpura, depictas, cingulo subligati, pedes luteis induti calceis, Deamque serico coniectam amicula mibi gerendam impununt.* Quin & ipse Apulejus alio in loco, vestem, qua indutus est, dum sacris Deum Matris initiabatur, his verbis describit: *Et humeris (Apuleji) de-*

XII.  
Archigallorum  
vestes quæ.

*De Dea Syria.*

*Lib. II. pag. 91.*  
*Lib. II. cap. viii.*

*Lib. viii. pag. 172.*

*Lib. xi. pag. 256.*

pen-

## 22 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

*Lib. xi. pag. 245.*

pendebat, pone tergum, talorum tenuis, pretiosa clamyda, quaqua tamen viseres, COLORE VARIO circumnotatis insignibus animalibus. At idem paullo ante, pompam sacrorum Matris Magnæ minute delineans, hæc habet: *Tunc influunt turbæ sacris divinis initiate, viri feminæque omnis dignitatis, & omnis etatis, LINTEÆ VESTIS candore puro luminosi: illæ limpido tegmine erines madidos obvolutæ, bi capillum deras funditus, vertice prænentes: magna religionis terrena fidera, ereis & argenteis, immo vero aureis etiam fistris argum tinnitum constrepentes. Sed ANTISTITES, sacrorum proceres illi, CANDIDO LINTEAMINE cinctum pectorale, adusque vestigia strictim injecti, potentissimorum Deum proferebant insignes exuvias.* Hujusmodi igitur sacris iniciati, tam viri, quam feminæ, pompam sacrificii comitantes, lineis vestibus induiti erat. Ipsi quoque sacrorum Antistites, nempe Archigalli lintea veste oblonga, non laxa, sed constricta, simulacra Deum gestabant, ad sacrificium profecturi. Apulejum cum Dionysio Halicarnassœ ad Archigalli vestes sacrificales quod attinet, conciliare arduum mihi est. Gerardo Vossio, Dionysii auctoritate permoto, creditum est, Gallorum vestes multicolores fuisse, ac de eadem versicolori veste locutum Fulgentium in Mythologia, dum ait: *Ideo & multiplici veste, quod omnis potentia ornata sit; sed hæc de Cybele ipsa a Fulgentio tradi, satis liquet.* Isaacus Vossius filius in ea sententia est, *Gallos, ubi primum exfecti fuissent, furentes huc illuc discurrisse, & in quamcumque seminarum vestem in ædibus, in quas divertebant, incidissent, ea usos esse.* Rectene id Vossius, alii dispiciunt. A corruptis Gallorum moribus, eorum quo-

*Idolol. lib. II. cap. LIII.*

*Lib. III. cap. v.*

*In notis ad Catullum pag. 167. 168.*

quoque vestis minus casta habita apud veteres.

Tritum illud Varronis in Eumenidibus:

*Nam quæ venustas hic adest gallantibus?*

*Quæ CASTA VESTIS?*

**V**estibus Archigalli sub pectus inhæret orbiculus, in cuius area inter antas januæ, forte templi cujusdam, visitur protome Phrygio integumento ornata, quæ dextræ manus digitis prope os appositis, silentium indicere videtur, ne arcana Deum Matris evulgarentur: qua de re plura qui cupit, adeat Barnabam Briffonium in libris de Formulis & sollemnibus populi Romani verbis, ex quibus satis sit decerpere Virgilianum illud:

*Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra,*

*Idæumque nemus: hinc fida silentia sacris.*

Fuit id in more institutoque sacerdotum Matris Deum, quoties stipem emendicarent, ac sacra facerent, ut imagunculas orbiculis inclusas, pectore tenus vestibus affigerent. De hoc more illustris est apud Dionysium Halicarnassæum locus, quem iisdem pene verbis exscripsit Eusebius in libris Præparationis Evangelicæ: *In Magnæ Matris Idæe sa-* Lib. II. cap. VIII.  
*ceris, inquit Dionysius, Romani Prætores quotannis Romano ritu victimas cœdunt, & ludos faciunt: sacerdo-*  
*tio autem ejus funguntur vir & mulier genere Phryges,*  
*eamque per Urbem circumferunt, & Magnæ Matri Sti-*  
*pem cogunt, Metragyrtarum officium obeuntes pro more*  
*suo, IMAGINES IN PECTORE gestantes, tibiis carmina ca-*  
*nentes in laudem Magne Matris, tympanaque pulsantes:*  
*Romanorum indigenarum nullus talia auderet. Hæc*  
*Dionysius. quem pedibus manibusque sequitur Eu-*  
se-

XIII.

Orbiculus circa  
pectus Archigalli,  
& cur ab iis gestus.

*Liber I. pag. 5. c.*  
*Aeneid. II. L.*  
*vers. 111.*

*Lib. II. pag. 91.*

*Lib. II. cap. VIII.*

se-

## 24 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

sebius, dum ait: *Ejas (Cybeles) tamen sacerdotio vir ac mulier Phryges ambo funguntur, qui totam civitatem circumcunt, singulis mensibus Stipem more suo hinc inde corrogantes, IMAGUNCULAS PECTORI ALLIGATAS GESTANTES, tympanaque pulsantes, quos sequens multitudo, materna carmina ad tibiam modulata circumsonat.* At e Romanis indigenis nemo, vel Matri Stipem emendans, vel incentive tibiarum afflatus, ac versicolore Stola induitus, oberrat Urbem, nullaque populi lege, nullo Senatus consulo celebranda Phrygio ritu Matris orgia suscipit. Simulacrum Archigalli hujusmodi orbiculis.

*supra vestes circa pectus insignitum, luci donavit vir clarissimus Bernardus Montfauconius in magnis Antiquitatum voluminibus, ubi Dionysii locum produxit. Orbiculus ibi circa pectus Archigalli, insculptam habet templi faciem, in qua Cybele media est inter Jovem, & Mercurium. Alia item imago Laboriae Felicilae, sacerdotis Magnae Matris, ab eodem Montfauconio vulgata, numinis cujuspam, puta Jovis effigiem, ad pectus suspensam tenet. Porro simulacrum Archigalli a Montfauconio editum, licet manibus & capite injuria temporis abscissis, eximum tamen antiquitatis monumentum ei visum est. Redeo in viam. Ex Dionysio igitur, & Eusebio percipimus, cur Galli, & Archigalli, vestibus imagunculas insuerent, quod scilicet stipem Matri Deum conquisituri, ejus mysteria præferrent; ac interdum ipsius simulacrum asino imponentes, in quæstum ducerent. Hi æruscatores a Græcis Metragyriæ, & quandoque Menagyriæ, quod singulis mensibus illud ministerium obirent, appellantur. Hujusmodi quæstus derisus non solum a christianis,* sed ab

*Ibid. 10. II. pag. 42.*

ab ipsis ethnicis scriptoribus. De eo enim Tertullianus : *Majestas quæstuaria efficitur. Circuit capones religio mendicans.* Item : *Non sufficimus & hominibus & Diis vestris mendicantibus opem ferre.* Minutius Felix : *Nudi cruda hyeme discurrunt. Alii incedunt pileati, scuta vetera circumferunt, pelles \* cedunt,* <sup>\* al. pelves.</sup> *mendicantes vicatim Deos ducunt.* S. Augustinus loco antea a nobis allato, *Gallos per plateas vicosque Carthaginis oberrasse scribit, ut a populis, unde turpiter viverent, exigerent.* E profanis scriptoribus primus sit Cicero, apud quem ex lege xii. Tabularum hæc producuntur verba : *Præter Idæe Matris famulos, eosque justis diebus, ne quis stipem cogito.* Ad quæ Cicero : *Stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idæe Matris excepimus. Implet enim superstitione animos, & domos exbaurit.* Magnam siquidem auri argenteique vim a populis hos præstigiatores emunxisse, docent hi Lucretii versus : <sup>De Legibus lib. II. Lib. II. vers. 624.</sup>

*Ergo cum primum magnas in'vecta (Deum Mater) per  
Munificat tacita mortales muta salute: (urbes  
Ære atque argento Sternunt iter omne viarum,  
LARGIFICA STIPE DITANTES, pinguntque rosarum  
Floribus, umbrantes matrem, comitumque catervas.*

Apulejus *Gallum, improbum metragyrtam* definit : *Unum de triviali populorum fæce, qui per plateas & oppida cymbalis & crotalis personantes, DEAMQUE SYRIAM circumferentes, MENDICARE compellunt.* Idem alio loco : *Ad istum modum vitato dupli periculo die se-  
quenti rursus DIVINIS OFFICIIS onustus cum crotalis & cymbalis circumforaneum mendicabulum producor ad viam.* <sup>Lib. VIII. pag. 170. Lib. IX.</sup>

## 26 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

### XIV.

*Semen papaveris, & oleæ ramus in manu dextra Archigalli.*

*Vid. Spanbem. de Praestantia & usu numism. antiqu. Dissert. VIII. pag. 625. edit. an. 1671. & Dissert. X. pag. 290. 291. edit. an. 1717. Eneid. vi. vers. 230.*

**M**anu dextra *Archigallus* semen *papaveris*, & oleæ ramum gestat. Papaver unum e symbolis est Deæ Cybeles. Prostant nummi jampridem a viris doctis evulgati, in quibus visitur Mater Deum inter duos leones sedens, ac sinistra manu tympanum, dextra *papaver* tenens. Ramus oleæ aspergillum est lustrationibus destinatum. Virgilius dicit Cœrynae:

*Idem ter socios pura circumtulit unda,  
Spargens rore levi, & RAMO FELICIS OLIVE  
Lustravitque viros.*

Aspergillum hujusmodi manu tenet *Cistophorus* Bellonæ apud Gorium. Ramus oleæ fuit præterea symbolum supplicum & deprecantium.

### XV.

*Canistrum fructibus referunt. Flagrum Archigalli. De hujusmodi flagris illustris Apuleji locus.*

*Lib. I. cap. xx. &  
lib. V. cap. xlviii.*

**M**anu sinistra *Archigallus* canistrum, seu coram fructibus variis confertim plenam tenet, inter quos nucleus pineus. Hæc porro donaria sunt Matri Deum, frugum omnium parenti oblata. Pinæa nux in canistro, satis etiam demonstrat, symbola hujus hieroglyphici ad Deum Matrem spectare. *Pinus* Cybeli sacra erat, qua de re fusius ab aliis, & præsertim a Jo. Gerardo Vossio in libris de Theologia Gentili. Quotannis pinus arbor, stata die deferebatur in templum Cybeles, certo ritu, de quo Arnobius non semel. Deferebatur autem xi. Kal. Aprilis; quæ dies in Kalendariis veteribus signatur: *Arbor intrat*. Qui pinum deferebant, *Dendrophori* appellati, ab ea arbore deferenda ita dicti, ut Vossius ubi supra, & Philippus a Turre Antistes Adriensis in explicatione Taurobolii Lugdunensis adnotavit. Su-

Supra canistrum, manubrium affabre elaboratum con-  
surgit, e quo superne dependent tres veluti funiculi,  
satis longi, quibus identidem taxilli innectuntur.  
Flagrum esse id cuiquam videbitur; sed quanam ma-  
teria, ferrea ne, an nervea, an ossea, incompertum  
esset, nisi Apulejus hoc ipsissimum flagrum nobis de-  
scripsisset. Audiamus ejus verba. Postquam præ-  
misit, quo ritu Galli simulacrum Deæ circumtulisi-  
sent, & cultris brachia vulnerassent, subdit: *Unus*  
*ex his varicinatione clamosa, conficto mendacio, semet-*  
*ipsum incessere atque criminari cœpit, quasi contra fas*  
*sanctæ religionis designasset aliquid; & insuper justas*  
*pœnas noxii facinoris, ipse de suis manibus exposcere.*  
*Arrepto denique FLAGRO, quod SEMIVIRIS illis proprium*  
*gestamen est, CONTORTIS TÆNIIS LANOSI VELLERIS PRO-*  
*LIXE PIMBRIATUM, ET MULTIJUGIS TALIS OVUM TESSEL-*  
*LATUM, indidem sese MULTINODIS commulcat ictibus:*  
*mire contra plagarum dolores præsumptione munitus.*  
*Cerneres, proœctu gladiorum, ICTUQUE FLAGRORUM,*  
*solum spurcitie sanguinis effeminati madescere. Mox*  
*narrat, hos Gallos, ubi tandem fatigati, vel certe suo*  
*Ianiatu satiati, pausam carnificinæ dedere, stipem æris*  
*& argenti a multis certatim offerentibus, finu exce-  
pisce, vini quoque cadum, ac cetera edulia, & in*  
*sacculos huic quæstui de industria præparatos, con-  
gessisse. Postremo narrat, hos improbissimos Gallos*  
*necem ipsi Apulejo, flagri ictibus intentare coepisse:*  
*Deaque, inquit, vebiculo meo sublata, & bumi reposi-  
ta, cunctis stramentis me renudatum, ac de quadam quer-  
cu destinatum, FLAGRO ILLO PECUINIS OSSIBUS CATENA-  
TO, pene ad extremam confecerant mortem. Quam pe-  
culiaria & egregia nos docent producta hucusque*  
*Apuleji verba! Et quam mire nostrum monumen-*

*Lib. viii. pag.  
172. 173.*

*Ibid. pag. 175.*

## 28 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

tum illustrant! Discimus, cui usui flagrum hujusmodi destinatum esset; discimus, illud *Gallorum* sacerdotum *proprium gestamen* fuisse; discimus ejus formam; nam chordulæ illæ prolixæ confectæ erant ex pelle pecuina; *tali*, seu *taxilli*, qui *chordulis* inserti erant, ex corio ovium item erant; ac *osfa pecuina* ab Apulejo appellantur. Vides, & nostrum monumentum ab Apulejo, & Apulejum a nostro monumento lucem maximam accipere? Haec tenus enim Apuleji locus a nobis allatus, viris eruditissimis obscurus visus est, neque recte ab iis perceptus. Protulerunt illum Justus Lipsius<sup>a</sup>, Thomas Bartholinus<sup>b</sup>, Laurentius Pignorius<sup>c</sup>, & alii: sed Lipsius ex conjectura, flagrum, de quo Apulejus, insitis talis, aut officulis exasperatum fuisse putat, neque quo pacto hi taxilli insiti essent, scire potuit. De flagri forma silet, ut & Bartholinus. Egregium quidem locum Lipsius attulit ex libro contra colores, Plutarcho adscripto, ubi de flagro taxillato, quo *Galli utebantur*, mentio fit: *Nec qui liberæ (verba sunt apud Plutarchum) verberationis egeat, sed FLAGRI ILLIUS TAXILLATI, quo GALLOS aliquid offendentes in sacris Magnæ Matris coercent.* Pignorius, flagrum ex disciplina *Gallorum* esse censuit, permotus Apuleji loco, itemque ex Ovidiano illo:

*Fastrorum lib. iv.  
vers. 341.*

*Exululant comites (Galli) furiosoque tibia flatur,  
Et feriunt molles taurea terga manus.*

*Satyr. vi. vers.  
491.*

Item ex Juvenali:

. . . . . Taurea punit  
Continuo flexi crimen, facinusque capilli.  
Hic *Taurea* ex opinione Pignorii substantive ponitur, & pro flagro ex bubulo tergore accipitur. At hæc ad Apuleji locum enodandum, nil pertinent.

Tam

## XVI.

*Gallorum horrida flagellatio.*

**T**am immaniter autem crebris flagrorum ictibus in se *Galli* sæviebant, ac ululatibus furentes fremebant, ut hæc horrori essent adstantibus. Isaacus Vossius notat, in thyasis Bacchi & Cybeles, cantui & harmoniæ inservisse istiusmodi flagellorum strepitus: ac tam grandibus *Gallos* usos esse flagellis, ut tubæ instar sonarent; a Græcis *maganas* appellari a gravi, quem edunt sono. De horrido flagellorum ictu, ululatuque *Gallorum*, hi versus Mœcenatis exstant apud Fortunatianum Grammaticum:

*Ades, o Cybele, fera montium Dea  
Ades, & sonante tympano quate flexible caput,  
Latus borreat flagello, comitum chorus ululet.*

Apud Aegyptios, in sacris Magnæ Deæ, teste Herodoto in Euterpe, flagellatio, dum sacrificium adolebatur, a sacrificulis omnibus adhuc jejunis siebat: *Dum sacrificium ardet, inquit, omnes se ipsos verberant. Posteaquam vapularerunt, dapes ex sacrificii reliquiis proponuntur.* In urbe autem Busiri, paullo post idem scribit Herodotus: *verberantur post sacrificium cuncti & cunctæ, multa sane hominum millia: quo autem verberantur, non est mibi fas dicere. Sed ex omnibus præcipue hoc faciunt Cares qui Aegyptum incolunt: adeo quidem ut gladiis quoque frontes concidant. Ex quo facto datur intelligi eos hospites esse, non Aegyptios.*

*Lib. II. cap. XL.  
pag. 105.**Ibid. cap. LXX.  
pag. 113.*

**N**ec latera solum flagris cædebant, sed brachia cultris, & securibus feriebant, & morsibus musculos impetebant. Quo ritu hæc laniana fieret, nos in primis docet Apulejus: *Brachiisque suis bumero* *Galli* brachia cultris & securibus laeberabant.

## XVII.

*Lib. VIII. pag. 172.**te-*

## 30 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

*renus renudatis, attollentes IMMANES GLADIOS AC SECUND  
RES, evantes exiliunt, incitante tibie cantu lymphati-  
cum tripudium: nec paucis percursatis casulis, ad quan-  
dam villam Britini perveniunt, & ab ingressu primo,  
Statim ABSONIS ULULATIBUS confitentes, FANATICI  
pervolant. Diuque capite demisso, cervices lubricis in-  
torquentes motibus, crinesque pendulos rotantes in cir-  
culum, & nonnunquam MORSIBUS suis incurvantes MUSCU-  
LOS, & postremo ANCIPITI FERRO, quod gerebant, sua  
quisque brachia dabant. Huc spectat Commodiani  
Poetæ christiani versus:*

*Aut cum dorsa sua (Galli) allidunt spurca DIPENNE.*

*Hymn. de S. Ro-  
mano vers. 1061. Huic etiam spectant Prudentii versus:*

*CULTRUM IN LACERTOS exerit FANATICUS,  
SECTISQUE Matrem BRACHIIIS placat Deum.  
Furere ac rotari jus putatur mysticum.  
Parca ad secundum dexira fertur impia:  
Cætum mereatur vulnerum crudelitas.*

*Lib. xi. epigram. Christanos Poetas Martiali prætuli, apud quem le-  
ges:*

*Alba minus servis LACERANTUR BRACHIA CULTRIS.*

*Cum FURIT ad Pbyrgios enbea turba modos.*

*Thebaid. lib. x. Statius item hoc allusit:*

*Sic PHRYGA terrificis genitrix Idea CRUENTUM  
Elicit ex adytis, CONSUMPTAQUE BRACHIA FERRO  
Scire verat: quatit ille sacras in pectore pinus  
Sanguineosque rotas crines, & vulnera cursu  
Exanimat.*

*A.E. III. vers. 586. Seneca præterea in Agamemnone:*

*Non si molles imitata viros  
Tristis LACERET BRACHIA tecum,  
Quæ turrita turba parenti*

Pe-

*Pectora rauco concita buxo.*

*FURIT, ut Phrygium lugeat Attin.*

Ad tibiæ Phrygiæ sonum in furorem agi consuevisse notat Lucianus in Nigrino: *Sicut tibiæ Phrygiæ sonum qui audiunt, non omnes in furorem aguntur; sed qui Rbae sacrati addictique sunt; illi reminiscuntur eo signo affectus.*

**D**Um furore istiusmodi concitabantur Galli, vaticinari solebant; sed *conficto mendacio*, ut Apuleius ipse præstigiarum hujusmodi apprime conscius fatetur. Nota & hæc fraus *Gallorum & Archigallorum* vaticinantium, christianæ religionis Apologistis, qui idcirco eorum vaticinia irridebant. *Archigallum* enim deridet Tertullianus, quod Romæ dum de M. Aurelii incolumentate Romani solliciti, vaticinium *Archigalli* ejusdem exposcerent, hic dum immanibus iictibus lacertos impeteret, vivere adhuc M. Aurelium commentus est, cum aliquot diebus ante obiisset. Tertulliani verba demus: *Itaque majestatis sue in Urbem collatæ grande documentum nostra etiam astate proposuit, cum M. AURELIO apud Sirmium Reipublicæ EXEMTO die xvi. Kalendarum Aprilium, ARCHIGALLUS ille sanctissimus DIE IX. KALENDARUM BARUNDEM, quo sanguinem impurum, LACERTOS quoque CASTRANDO, libabat pro SALUTE IMPERATORIS Marci JAM INTERCEPTI, solita etque imperia mandavit.* Vide eundem ibidem cap. xxiii. & in libro de Resurrectione carnis. Ad *Gallorum* figura respexit etiam S. Ambrosius, dum ait: *Unde igitur exemplum, quod currus suos simulato Almonis in flumine lavat Cybele? Unde PHRYGII VATES, & semper invisa Romanis non aequæ Carthaginis numina.*

## XVIII.

*Gallorum falsa vaticinia, & confusa mendacia. Bellona quoque sacerdotes bipenne lacertos feriebant, & vaticinabantur.*

*Apologet. cap. xxv.*

*cap. xvi.*

*Lib. II. contra Religionem Symmachii.*

Ha-

## 32. INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

Habes modo, cur *Galli*, & *Archigalli* flagris se incesserent, cur cultris brachia ferirent. Prudentius item aduersus Symmachum, versibus a nobis supra allatis, ubi de *Gallis spadonibus*, testimonia protulimus, hoc idem de furiosis *Gallis cæca responsa red-dentibus* designavit. In vetustis porro lapidibus exempla supersunt de *Archigallorum* vaticinatione; nam apud Grütterum pag. xxx. 2. legitur:

ANTONIANUS. PONTIFEX. PERPETVVS  
IN. HONOREM. DOMVS. DIVINAE &c.  
EX. VATICINATIONE. PVSONI. IVLIANI  
ARCHIGALLI &c.

Hic autem lapis, ex consulibus ibidem adnotatis  
Lib. xlviii. pag. 383.  
 exaratus est A.D. 184. Dio Cassius demum scribit:  
*Appio Claudio, C. Norbano Coss. nempe A. V. 716.*  
*cella Romuli, quum in ea Pontifices sacrum fecissent, incendio absympta est: statua Virtutis, quæ ante portam quandam stabat, in faciem decidit: ac quidem FUORIB<sup>E</sup>*  
*Matris Deum CORREPTI, irasci populo Divam dixerunt:*  
*Ejus rei causa libri Sybillini sunt inspecti, ac ex iis respondere Quindecemviri, succensere Deam populo, simulariumque ejus esse ad mare deportandum: id quum fieret, Dea quum adbuc a mari abesset, a terra in id progressa est: ac aliquando ibi morata, vix tandem rediit.*

Mos etiam fuit, ut hoc insuper adnotemus, Bellonæ sacerdotibus feminis, masculisque, lacertos bipenne ferire, & dum sanguis efflueret, vaticinari.

Lib. I. eleg. viii. verf. 50. *Tibullus:*

. . . . . : sic magna sacerdos  
*Est mibi divino vaticinata sono.*

Hæc

## FIGURAM ARCHIGALLI REFERENTIS 33

*Hec ubi Bellone motu est agitata, nec acrem  
Flammam, non & amans verbera torta timet.  
Ipse BIPENNE SUOS cedit violenta LACERTOS  
Sanguineque effuso spargit inulta Deam.  
Statque latus prefixa veru, statque faucia pectus,  
ET CANIT EVENTUS, quos Dea magna monet.*

Hinc Juvenalis:

satyr. iv. vers. 123.

*. . . . . sed ut FANATICUS æstro  
Percussus, BELLONA, tuo DIVINAT, & ingens  
Omen habes, inquit, magni clarique triumphi.*

Idem:

satyr. vi. vers. 511.

*. . . . . Ecce furentis  
Bellone, Matriisque Deum chorus intrat &c.  
De Bellonæ sacerdotibus furentibus, hæc tradit La-  
ctantius: Alia (sunt sacra) Virtutis, quam eandem Lib. i. cap. xxii.  
Bellonam vocant; in quibus IPSI SACREDOTES, non alie-  
no, sed suo CRUORE sacrificant. Sectis namque bumeris,  
& utraque manu districtos gladios exerentes, currunt,  
efferuntur, insaniunt. Vetus quoque inscriptio Gru-  
teriana pag. CCCXIII. 1. habet:*

**Q. CAECILIO. APOLLINARI  
FANATICO. DE. AEDE. BELLONAE  
PVLVIN. &c.**

Jacobus Gutherius, qui in libris de jure Manium Lib. i. cap. v.  
pag. 29.  
hanc attulit inscriptionem, monet, *fanaticos quoque*  
*dictos sacerdotes, qui circa fana versabantur, & re-*  
*sponsa reddebant, quod comprobat ex leg. i. §. Idem*  
*Vivianus Digest. de Ædilit. edict. Idem Vivianus ait*  
*(legis verba sunt) quamvis aliquando quis circa fana*  
*baccatus sit, & responsa reddiderit, tamen si nunc hoc non*  
*faciat, nullum vitium esse.*

E

Ad

## 34 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

Ad alta quæ in marmore scalpta sunt me conseruo. In superiori ejusdem parte ad oram utrinque appensi sunt duo veluti orbes, seu pelves, minori quidem forma in dextro lapidis latere, majori vero in laevo. Hæ orbiculares figuræ cymbala, & tympana sunt, ni fallor, quæ in sacris Cybeles adhiberi solebant, & a Gallis pulsabantur, & quatiebantur.

### XIX.

*Cymbala in sacris  
Matris Deum pul-  
sata.*

*Thebaid. VIII.  
vers. 221.*

**C**ymbala apud veteres fuere semirotundi quidam & concavi pelves, qui concutiebantur, ut sonum ederent, ideoque foliis acetabuli, quæ rotunda, & concava simul sunt, comparantur. Eorum materia ut plurimum ex ære fuit. Bina erant, adeoque, ut sonum concinnum efficerent, invicem inter se configabantur. Huc facit Statius :

. . . . GEMINA ÆRA SONANT, Ideaque terga,

Et moderata sonum vario spiramine buxus.

*Lib. II. cap. XXI.* Isidorus in libris Originum cymbala ita describit : *Cymbala & acetabula quædam sunt, quæ percussa in vicem, se tangunt, & sonum faciant. Dicta autem cymbala, quia cum ballematica simul percutiuntur. Ita enim Graci dicunt cymbala ballematica.* Hinc ea pulsari, quati, & sonare dicebantur. Patet autem, errare eos omnes, qui putarunt, cymbala veterum non dissimilia fuisse ab Italorum, Hispanorumque cymbalibus; quæ de re adeundus Fridericus Adolphus Lampe, seu Lampus in eruditis libris de Cymbalis veterum, & præsertim de usu cymbalorum frequentissimo in sacris Magnæ Matris, cui præfer Pignorium in libris de Servis.

*Lib. II. cap. XXXVI.  
pag. 158.*

*Lib. I. cap. XIII. &  
Lib. II. cap. III.  
pag. 83. & seqq.*

Tym-

## XX.

**T**ympnum definiente Isidoro fuit: *pellis*, vel  
corium ligno ex una parte extensum. Est enim pars  
media symphonie in similitudinem cribri. Tympanum au-  
tem dictum, quod medium est; unde & margaritum me-  
dium tympanum dicitur, & ipsum, ut symphonia, ad  
virgulam percutitur. Interdum manibus impelleba-  
tur. Isaacus Vossius ad Catullum scribit, tympana  
antiquitus construi consueisse ex circulo, seu po-  
tius cylindro concavo ligneo, & ex pelle quæ indu-  
cebatur, & insuper e circulis seu tintinnabulis æreis,  
oram undique ambientibus. Ea & minora, & ma-  
jora, ex eorum varia magnitudine erant. Formam  
eorundem ex antiquis monumentis exhibet Pigno-  
rius. Vide item de tympanorum forma Suidam.  
Nil apud veteres frequentius, ubi de Cybele mentio  
est, quam de tympanis a Gallis pulsatis. Selectiora  
loca vide apud eundem Pignorium. Nos unum, aut  
alterum proferemus. Catullus in Galliambo:

*Tympanum, tubam, Cybele, tua, mater, initia.*  
Phœdrus item eleganter:

*Galli Cybeles circum questus ducere  
Afinum solebant, bajularem sarcinas.  
Is cum labore & plagiis esset mortuus,  
Detracta pelle, sibi fecerunt tympana.*

**E**Latere item marmoris ad lœvam Archigalli duo  
musica instrumenta visuntur, quorum alter re-  
ctum & oblongum in summo apice *lingulam*, seu *li-*  
*gulam* habet; alterum vero in ima parte recurvum  
est, & litui formam præfert. Utrumque instru-  
mentum *tibiam Phrygiam* designat, cuius usus in sa-

Tympana in facris  
Cybeles.

Lib. II, Orig. cap.  
xxi.

Pag. 226.

De Servis, pag. 87.

Verb. Tym-  
pum.

Lib. IV. fab. 1. al.  
lib. III. fab. ult.

## XXI.

Tibiae in iisdem  
facris.

## 36 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

*Lib. II. cap. VIII.  
pag. 113. &c seqq.*

cris Magnæ Deum Matris frequentissimus. Ea de re vide Casparem Bartholinum de Tibiis veterum. Phrygia tibia dupli nomine a dupli illius forma vocabatur; nempe *dextra*, quæ & *recta*; & *sinistra*, quæ item *curva* & *inflexa*, quod ejus codon in ima parte e cornu inflexo esset. Hæc etiam *lituus* aliquando dicta, quod litui instar esset. De hujusmodi tibiis præter Gruterianum lapidem, adi eundem Bartholinum, apud quem spississima Poetarum testimonia occurrit. Nos eorum aliquot excerpsumus, & hoc transtulimus. Lucretius de ritu sacrorum Deæ Cybeles:

*Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum  
Concava, raucisonoque minatur cornua cantu,  
Et Phrygio stimulat numero CAVA TIBIA mentes.*

*Lib. II. eleg. I.  
vers. 85.*

Tibullus:

*sed tuba jocosa  
Obstrepit, & Phrygio TIBIA CURVA sono.*

*Dc Ponto lib. I.  
epist. I.*

Ovidius:

*Ante Deum Matrem CORNU tibicen ADUNCO  
Cum canit.*

*Lib. IV. vers. 180.* Idem in Fastis, ubi de festo Matris Deum, die v. Aprilis apud Romanos agi solito:

*Protinus INFLEXO BERECYNTHIA TIBIA CORNU  
Flabit, & Idæa festa parentis erunt.*

*Carm. LXIV.  
vers. 19.*

His præmittendus forte erat Catullus, qui in Gallicambo:

*simul ite: sequimini  
Phrygiam ad domum: Cybeles Phrygia ad nemora Deæ,  
Ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant,  
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo.*

*Carm. LXX.  
vers. 261.*

Idem in Epithalamio Thetidis & Pelei, de sacris Bacchi:

*Multi*

*Multi raucisonis efflabant cornua bombis,  
BARBARAQUE horribili stridebat tibia cantu.*

*Barbara tibia hic est Phrygia, ut in notis ad hunc locum censet Isaacus Vossius. Tibiam porro in sacris Matris Deum, ut plurimum fuisse buxeam, docent eruditi, quum apud Virgilium haec de Phrygibus* *Eneid. x. v. 617.*  
sint:

*O vere Phrygiæ, neque enim Phryges! Ite per alta  
Dindyma, ubi adsuets biforem dat tibia cantum.  
Tympana vos BUXUSQUE vocant Berecyntia Matris  
Idæe . . . .*

Apud Ovidium quoque buxeæ est tibia Matris Deum: *Metam. lib. xiv.  
Sancta Deum genitrix tinnitibus æthera pulsi  
Æris, & INFLATI complevit murmure BUXI.* *fab. XII. verf. 536.*

Vide, si lubet Plinium, qui de tibia obliqua, ac genitinis tibiis apud Phryges, & de calamo *lævæ* ac *dextræ* tibiæ meminit.

## XXII.

**A** Gmen claudet cista undique clausa cum operculo acuminato, non longe a tibiis scalpta. Haec est cista mystica sacrorum Matris Deum. De ea cista in sacris ejusdem Matris Idæe, ante Deæ simulacrum præferri solita Apulejus: *Ferebatur, inquit, ab alio (Gallo sacerdote) CISTA SECRETORUM capax, penitus celans opera magnifica religionis.* De cista mystica in Deorum sacris, pleni sunt eruditorum libri, adeo ut pudeat, quidquam de ea nunc in medium afferre. Vulgatissimum tamen in rem hanc Clementis Alexandrini locum præterire non possumus, ut intelligamus, quid huic cistæ inesset, meritoque ethnicæ religionis præstigia irrideamus: *Quale autem sunt, inquit, cistæ eorum mysticæ? Oportet* *Admonit. ad Genes. pag. 14.*

## 38 INTERPRETATIO VETERIS MONUMENTI

ter enim sancta eorum revelare & arcana enunciare. An non ea sunt sesamides & pyramides, & lana bene elaborata, libaque multis distincta umbilicis, salisque pugilli, & draco orgium Bacchi Bassari? An non mala Panica, atque etiam corda, ferulae, & hædere, & præterea placenta & papavera? Hec sunt eorum sancta. Ex illustri Clementis Alexandrini loco, quid cista mystica esset, jam tenemus. Verum de Gallis & Archigallis plus æquo te distinui, & fortasse usque ad nauseam. Dabis tamen veniam antiquitati, quod de his tam frequenter meminerit.

### XXIII.

*Cur effigies in  
hoc monumento  
exsculpta, Archi-  
gallus dicenda sit.*

*Pag. xxx. 2.  
viii cccviii. 7.*

*Liber. ix. pag. 208.*

*Class. iv. n. 5.*

**A**T inquies; cur effigiem, quæ in hoc monumento comparet, Archigalli potius esse, quam Galli censuisti? Gallos sacerdotes in marmore ac tabulis exprimi potuisse non abnuo, sed quum viderim, quæ nobis hactenus superfuere monumenta marmorea, vetustasque inscriptiones, ad Archigallos pertinere, in eam veni opinionem, ut effigies, quæ in nostro hoc monumento exstat, Archigalli potius, quam Galli sit. Litterati lapides magni thesauri Gruteriani de Archigallis tantum, non de Gallis meminere. In Ligorianis item lapidibus in Ardeatino, proximo Lanuvino, olim repertis, editisque dudum apud Josephum Rochum Vulpium e Societate Jesu in Veteri Latio: L. ANTONIUS L. L. MARTIALIS ARCHIGALLUS M.D.M.ID. Item: M. ANTONINUS M. L. CALLISTRATUS SACERDOS ARCHIGALLUS SACRANOS MATRI D. MARENÆ IDÆÆ legitur. In Donianis denique inscriptionibus novissime vulgatis habetur: VIRANUS AMPLIATUS ARCHIGALLUS M. D. Nec ignoramus solo sacerdotis nomine, at raro, in antiquis lapidibus, Matris Deum

## FIGURAM ARCHIGALLI REFERENTIS 39.

Deum sacerdotes tam viros, quam feminas venire, ut apud Gruterum<sup>a</sup>, Reinesium<sup>b</sup>, & in Donianis<sup>c</sup>, ut sexcentos alios veteres scriptores omittamus. Scimus etiam, imagines sacerdotum Deæ Cybeles, quæ pictura antiquitus effingebantur, Archigallorum plerumque fuisse. Plinius de Parrhasio: Pinxit, inquit, & Archigallum, quam picturam amavit Tiberius Princeps: atque ut auctor est Decius Eculeo, lx. festiis astimata, cubiculo suo inclusit. Denique clarissimus Montfauconius, statuam muliebri veste indutam, & imagunculam Deæ Cybeles ante pectus preferentem, Archigallum, non Gallum appellavit. Quidni & mihi non licuerit protomen in tabula nostra marmorea elaboratam, Archigallum, non Gallum appellare, ac simul affirmare, summo Gallorum Antistiti hoc monumentum positum fuisse? Quæri etiam potest, cuius conditionis essent, qui in collegium sacerdotum Gallorum cooptabantur. Si quis homini sensus pudoris inest, honestos quidem a tam turpi sacerdotio abhorruisse, credere parest. Ex vilissima populorum fæce fuisse testantur Halicarnassæus, Juvenalis, Eusebius, & Apulejus; quin & inscriptiones veteres, Archigallos, quorum nomina nobis servarunt, ex Libertorum genere extitisse demonstrant. Nunc intra septa me recipio. Excipe igitur, vir clarissime, lubenti animo hæc qualiacumque a me de Gallis, & Archigallis adnotata, meque amare perge.

Rome Kal. Martiis A. D. MDCCXXXVII.

<sup>a</sup> Pag. CCCVIII.  
6. 8. 11.

<sup>b</sup> Cl. 1. pag. 240.

<sup>c</sup> Cl. 1. n. 23. 27.

Lib. XXXV. cap.  
x.

IN-

## INDEX CAPITUM

I.	<i>Marmorea tabula, Archigalli effigie, rerumque figuris in- sculpta, ubi eruta; &amp; quando in Capitolineas aedes translata.</i>	pag. 6
II.	<i>Galli &amp; Archigalli, sacerdotes Deae Cybeles; cur ita vocati. Eorum facies partim virilis, partim seminea.</i>	7
III.	<i>Galli &amp; Archigalli, Gallæ, Semiviri, Semimares, &amp; Spado- nes, ob exsecta virilia, dicti. Delectus dies, quo sacerdotio initiabantur, &amp; exsecabantur.</i>	8
IV.	<i>Semivirorum, &amp; bis similibus nominibus Galli a rerum sacra- rum scriptoribus appellati.</i>	12
V.	<i>Galli, mores, incessum, &amp; ornatum seminarum simulabant.</i>	16
VI.	<i>Mitra Archigalli.</i>	ibid.
VII.	<i>Velum supra mitram Archigalli.</i>	17
VIII.	<i>Archigalli corona describitur.</i>	ibid.
IX.	<i>Inaures Archigalli.</i>	19
X.	<i>Archigalli monile.</i>	20
XI.	<i>Eiusdem Archigalli monile baccatum.</i>	ibid.
XII.	<i>Archigallorum uestes quæ.</i>	21
XIII.	<i>Orbiculus circa pectus Archigalli, &amp; cur ab iis gestatus.</i>	23
XIV.	<i>Semen papaveris, &amp; oleæ ramus in manu dextra Archigalli.</i>	26
XV.	<i>Canistrum fructibus reservatum. Flagrum Archigalli. De bu- jusmodi flagris illustris Apuleji locus.</i>	ibid.
XVI.	<i>Gallorum horrida flagellatio.</i>	29
XVII.	<i>Galli brachia cultris &amp; securibus lacerabant.</i>	ibid.
XVIII.	<i>Gallorum falsa vaticinia, &amp; confusa mendacia. Bellonæ quo- que sacerdotes bipenne lacertos seriebant, &amp; vaticinaban- tur.</i>	31
XIX.	<i>Cymbala in sacris Matris Deum pulsata.</i>	34
XX.	<i>Tympana in sacris Cybeles.</i>	35
XXI.	<i>Tibiæ in iisdem sacris.</i>	ibid.
XXII.	<i>Cithara mystica.</i>	37
XXIII.	<i>Cur effigies in hoc monumento exsculpta, Archigallus dicenda sit.</i>	38

IMPRIMATUR,  
Si videbitur Rmō Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

N. Baccarius Episcopus Bojanen. Vicesgerens.

IMPRIMATUR.  
Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii  
Apostolici Magister.







